Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



sunt oculis insipientium mori: et estimata est afflictio exitus ill
orum. et quod a nobis est iter exterminii: illi autem sunt in pace. Et si
coram hominibus tormenta passi sunt: spes illorum immortalitate
plena est. In paucis uexati in multis bene disponentur: quoniam deus
temptauit illos: et inuenit illos dignos se. Tanquam aurum
in fornace probauit illos: et quasi holocausta accepit illos: et in
tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti: et tanquam scin
tille in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes: et dominabuntur
populis. Et regnabit dominus illorum in perpetuum. Sapientie. plurimorum. iii.

Metuentes dominum. sustinete misericordias eius: et non flec
tatis ab illo. ne cadatis. Qui timetis dominum. credite illi: et
non euacuabitur merces uestra. Qui timetis dominum.
sperate in illum: et in oblectacione ueniet uobis misericordia. Qui timetis
dominum. diligite eum: et illuminabuntur corda uestra. Respi
cite filii nationes hominum: et scitote quia nullus sperauit in domino.
et confusus est: permansit in mandatis eius. et derelictus est.
Aut quis inuocauit illum. et despexit eum? Quoniam pius et mi
sericors est deus noster. Sapientie.

Expectacio iustorum leticia: spes autem impiorum peribit.
Fortitudo simplicis uia domini: et pauor his qui operantur
malum. Iustus in eternum non commouebitur: impii autem
non habitabunt in terram. Os iusti parturit sapienciam:
lingua prauorum peribit. Labia iusti considerant placita: os im
piorum peruersa. Simplicita iustorum diriget eos: et subplan
tacio peruersorum uastabit illos. Iusticia rectorum liberabit eos:
et in insidiis suis capientur iniqui. Iustus de angustia liberatus
est: et tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum
suum: iusti autem liberabuntur sciencia. In bonis iustorum ex
altabitur ciuitas: et in perdicione impiorum erit laudacio. In be
nedictione iustorum exaltabitur ciuitas. Sapientie

Reddet deus mercedem laborum sanctorum suorum: et dedu